

RESOLUTIO.

Non licere, si ex illis mulieribus una sit uxor legitima, & cœteræ concubinæ, nisi prius ejectis concubinis.

Si verò habuerit omnes tanquam legitimas uxores, pariter non licere, nisi ejectis omnibus, præter primam, si cum eâ validè contraxit, & velit secum cohabitare absque Creatoris injuriâ.

Si tandem, vel omnes simul, & unico actu acceperit in uxores, vel omnes habeat ut concubinas, non licere, nisi ejectis omnibus antè susceptionem Baptismi.

DECIMA DIFFICULTAS.

Quæritur an possit baptisari Barbarus adyltus, qui permittit, imò qui desiderat, ut Medici, & parentes adhibeant certas Cœremonias superstitiosas ad sanitatem procurandam, quæ ad minimum vanæ sunt & inutiles, sed adhuc ignoratur utrum absolute sint contra Religionem Catholicam? Quæritur autem num Missionarius illum baptisare possit antequam certò sciat quid significant tales Cœremonix, & cui dirigantur?

RESOLUTIO.

Stante certitudine, quod Cœremonix illæ ad minimum sint vanæ & inutiles, & sub dubio, an sint contra Religionem Christianam, non licere.

UNDECIMA DIFFICULTAS.

Quæritur an Missionarius possit conferre Baptisma, aliaque Sacramenta infirmo Barbaro, cui explicata sunt Religionis mysteria, qui pollicitus est se observaturum, nisi hoc tantum motivo, scilicet quod nolit ei contradicere?

Multæ ipsi supersunt rationes dubitandi num moribundus sit benè instructus, quia Missionarius linguæ